

& Ecclesiam vestram declarem. Scio me non satis hac ratione vestræ respondere magnificentiæ: verum si in sacris quoque quibus diuinæ maiestati litatur, non muneris quantitas, sed offerentis respicitur sinceritas: vt verū sit illud: καὶ δὲ δυνάμει δὲ ἐξελθῶν ἐξ ἀθανάτου θεοῦ: arbitror & vestros sic esse cōparatos animos, vt in hac causa respiciatis, non quantū, sed quo animo beneuolentiæ erga me vestræ rependam. Quanquam si qualitas Operis huius penitiùs inspiciatur, poterit forsan illius nuncupatio haud ita cōtemnenda ratione ad nominis vestri ornamentum factura videri. Est enim Psalterij Dauidici insignis in Ecclesia Christi, & singularis quædam existimatio, & dignitas amplissima: ad cuius explicationem, si non quantum decebat, saltem aliquid attulisse lucis, meritò haud leuis momenti opera censeretur. Contuli ad illius declarationem pro mea virili, quantum beneficio Domini licuit: nihilq; spectavi aliud, quàm vt primùm sensus Prophetæ redderem quàm pōssim luculentos: deinde, quæ ad utilitatem legentium obseruari queant, fideliter ac diligenter monstrarem. Quòd si aliquid est, in opere honesto aliquò vsq; prodire, & in magnis rebus voluisse laudi datur: arbitror pios ac sincere homines institutum hoc meum, si non admodum celebraturos, neque tamen vitio daturus. Malè consultorum hominum ingenia ad carpendum ac detrahendum magis, quàm ad probandum procliuia non sic moror, vt quod virum bonum decet, ipsorum respectu cunctanter obuiam: præsertim vbi negocium est cum pijs, ac rerum tam diuinarum quàm humanarum haud ignaris: quales vos non immeritò iudico, si gratiam Dei considero, quam nouissimis istis temporibus, quemadmodum multis Germaniæ nostræ Rebus publicis, ita & vestræ contulit: & ab illo collatam nō accepistis modò, sed & palàm cùm edictis, tum publica Ecclesiasticarum rerum reformatione professi estis. Felicem se iudicabat Apostolus, quòd de causa sua, imò veriùs Christi, coram Agrippa rege redditurus esset rationem, hoc solo nomine, quòd ille ludæus esset, & Prophetorum oraculorum, deinde & gestorū Christi plus haberet cognitionis, quàm Romani præfides: ad hæc veritati Dei non tam esset, quàm Scribæ & Pharisei iniquus & infensus. Quantò me feliciorum iudicare conuenit, quòd opera mea in regno Christi eo sunt loco in præsentia constantia, vt probanda sint magistratui non Iudaico alicui, sed Christiano, ac veritatem renouatæ nostræ religionis professor. Quam velim autem, viri ornatissimi, vt quòd hic causæ Christi in vestra est Republica factu & facile & securum, eadem facilitate ac se-

ac se-